

/ Admodum Illustris, et Reverendissime Domine. Per Dionysium Christophorum, meum aliquando familiarem, nunc vero canonicum, et scholasticum Brugensem accepi litteras Amplitudinis vestrae Reverendissime, ex quibus cognovi conventum provincialem istic ad annos 5 triginta et septem intermissum, non sine magnis laboribus et periculis tandem feliciter inchoatum, et absolutum fuisse. Vicit nimirum zelus honoris Dei timorem humanum, et pericula omnia charitati Christi cesserunt. Gratulor igitur toti isti provinciae de tam vigilantibus, et fortibus, pastoribus; gratulor etiam Reverendissimae D.V. et coepiscopis suis, quod inter tot labores magnum habeat meritum, et gloriae segetem. Quod attinet ad confirmationem a Summo Pontifice obtinendam, non magna difficultas erit: spero enim a tam doctis, et prudentibus episcopis nihil esse constitutum, quod iure corrigi debeat. Praecipuus labor in eiusmodi negociis 15 requiri solet in urgendo secretario congregationis; sed sive cum secretario, sive cum cardinalibus congregationis sive cum Summo Pontifice agendum sit, non patiar, ut opera mea desideretur; iamque Dionysium admonui, ut si quid sit, quod per me fieri debeat, me confidenter admoneat. Precor autem Reverendissimae Amplitudini 20 vestrae a Deo gratiae coelestis auxilium tantum, quantum ecclesiae istius necessitates postulant; et me vicissim sanctis ad Deum precibus vestris ex animo commendo. Romae die 2 novembris 1607.